

(quod quidem ex acido tannico vulgari, malico et gallico compositum esse suspicantur) quod albumen viridi colore tingit; utrumque in aqua et spiritu vini solvitur; 3) adipis circiter $\frac{1}{8}$ ponderis totius seminis; 4) resinae $\frac{1}{100}$; 5) sacchari similem copiam; 6) albuminis $\frac{1}{84}$; 7) gummi et mucii fere $\frac{1}{5}$; 8) materiae fibrosae circiter $\frac{2}{3}$; 9) aquae circiter $\frac{1}{2}$; 10) calcem et magnesiā haud dubie acidis supra nominatis junctam, praeter nonnulla alia corpora anorganica, ut Kali, natron etc.

Torrendo fabae coffeae non solum colorem mutant, sed etiam circiter quinta sui ponderis parte leviores fiunt et aliquantulum intumescunt, ita ut quae antea in aqua immersae fundum petierant, nunc ei innatent; aqua, quae inerat, cum parte coffeini aufugit; adeps empyreumaticus redditur; acidum coffeicum aromaticum in acidum pyro-aromaticum, peculiarem coffeae tostae odorem spirans, mutatur et ex parte avolat; albumen deletur et oleum empyreumaticum formatur; mucus saporem amarum assumit; denique ipsa coffea tostata non, uti cruda, albumen et alkalia carbonica viridi colore tingit¹⁶⁾.

In disquisitionibus chemico-forensibus saepe multum interest, scire, quomodo signa venenorum metallicorum, quae ex reactionibus chemicis desumuntur, additis corporibus organicis immutentur. Etiam coffea reactiones metallorum, quae ejus decocto forsā admixta sunt, multum immutat, quibus indagandis Orfila¹⁷⁾ magnam operam adhibuit, e. g. Arsenicum album coffeae decocto commixtum, si aqua calcis praecipitatur, colorem aurantium assumit, licet hoc oxydum, si ex simplici solutione aquosa dejicitur, ut omnes sciunt, album sit. Quibus mutationibus ne decipiamur, opus est, ut vim materiae colorantis coffeae in hujusmodi solutionibus remove-re possimus. Hunc

16) Hauslexicon Bd. IV. Leipz. 1836. p. 457.

17) In Diction. de Medic. Meissner und Schmidt Encyklopäd. Leipz. 1833. Bd. XII. S. 345.